Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Miche

et calcabit super excelsa terre et consumentur montes subtus eum
et colles scindentur sicut cera a facie ignis sic aque que decurrunt in pre-
ceps. In scelere iacob omne istud et in peccatis domus israhel. Quod sce-
lus iacob nonne Samaria et que excelsa iude nonne Jerusalem. Et
ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea et de-
traham in vallem lapides eius et fundamenta eius revelabo. Et omnia sculp-
tilia eius concidentur et omnes mercedes eius comburentur igni et omnia ydo-
la eius ponam in perditionem. quia de mercedibus meretricis congregata sunt et usque
ad mercedes meretricis revertentur. Super hoc plangam et ululabo
vadam spoliatus et nudus faciam planctum velut draconum et luctum
quasi strutionum quia desperata est plaga eius quia venit usque ad iudam
tetigit portas populi mei usque ad Jerusalem. In Geth nolite annun-
ciare lacrimis ne ploretis In domo pulveris pulvere vos aspergite
Transite a vobis habitatio pulchra confusa ignominia. Non
est egressa que habitat in exitu. Planctum domus vicina accipiet
ex vobis. que stetit sibimet. quia infirmata est in bonum que habitat
in arundinibus quia descendit malum a domino in portam Jerusalem.
Tumultus quadrige stuporis habitanti lachis principium peccati
est filie Syon quia in te inventa sunt scelera israhel. Propterea dabit
emissarios super hereditatem Geth. Domus mendacii in deceptionem
regibus israhel. Adhuc heredem adducam tibi que habitas in Maresa
usque ad odollam veniet gloria israhel. Decalvare et tondere super filios
deliciarum tuarum dilata calvicium tuum sicut aquila quoniam captivi ducti
sunt ex te. Sequitur capitulum 2m Michee. II

Ve qui cogitatis inutile et operamini malum in cubilibus vestris
In luce matutina faciunt illud quoniam contra deum est
manus eorum. Et concupierunt agros et violenter tulerunt
et domos rapuerunt et calumpniabantur virum et domum eius virum
et hereditatem eius. Idcirco hec dicit dominus deus. Ecce ego cogito super
familiam istam malum. unde non auferetis colla vestra et non ambu-
labitis superbi quoniam tempus pessimum est. In die illa sumetur super
vos parabola et cantabitur canticum cum suavitate dicentium depopulatione
vastati sumus. Pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me
cum revertatur qui regiones vestras dividat. Propter hoc non erit tibi mittens